



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 59. Catharina Sfortia Ivonis beneficio liberata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A. C. 1499.

§. LIX.

*Catharina Sfortia Ivonis beneficio
liberata.*

Non alieno, sed proprio experimento Ivo Alegrius testatum habebat infractum hujus Principissæ animum, atque illius virtutem semper supremo loco ducens, præprimis Catharinæ in confirmandis obsessorum animis intentam sedulitatem admirabatur, qua diu, noctuque per aggeres, atque valla, nunc milites, nunc cives, interdum singulos, sæpius universos obeundo, stimulandoque discurrebat: unde Ivo jam tum libertati ejus consulere decreverat, quod tamen obsequii genus eidem præstare præpediebatur; priusquam enim arcem ingressus esset, jamjam a Valentino Duce Romam deportata fuerat, nec tamen propterea a proposito suo absteritus, eam liberari ab Alexandro Papa precibus, quæ tamen imperio haud absimiles erant, postulabat, atque annuentibus summo Pontifice & Valentino Duce, utpote qui sine ingrati animi vitio Ivoni repulsam dare haud valebant, Catharina ad proles suas Florentiam libere reversa est.

§. LX.